235

58



QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 28. Novembris.

M. RENATO CHAUVEL, Doctore Medico, Præſide.

An ab uterino fermento menſtruorum fluxus?

I.

CORPORIS noſtri mirà compagò naturæ ſanè gaudentis opus, in eo principiorum inter ſe diſſidentium, tot tamque diverſarum partium nexus unus, conſenſus unus, actus unus, ipſius magnum ſolertiæ miraculum eſt. Quid nutritione elegantius? quid accretione jucundius? quid generatione grandius? verbo dicam, unaquæque pars ſuas habet admirationes. Hæreat quiſquam qui naturæ myſteria perſcrutans fermentationum effervescentiarumque modos ignorat, quarum ope omnia perficiuntur. Ipſa vita effervescentia eſt, quâ durante vivit animal, ceſſante mors eſt: quies enim motui oppoſita. Movetur animal dum ſpirat & vivit, informante ſcilicet animâ cujus inſtrumenta ſunt fermenta ubique poſita. Atomos igneas, lucem, ſpiritus vivificos, ſalia acida ſimplicia appelles ſi volueris, nihili planè refert. χύλωσις, αἱμάτωσις, ὁμοίωσις, fermentationum ſunt modi. Ad quaſcumque corporis partes appellat ſanguis, hæ ſuſcipiant, ulterius concoquant, ipſo alantur, ſuccus puriſſimus tranſcoletur, arteriarum ope ad capitellum uſque evehatur, ibi ignis naturam induat, quâ poſſit in inſtanti ad remotiores uſque partes per oculi aciem fugientes ductus deferri: hæc omnia fermentationibus atque effervescentiis, hæ fermentorum vi abſolvuntur. Nec adeo multa. unaquæque pars ſuo non caret fermento, in qua effervescit aliquis humor, eòque efficaciori, quò majus inde ſequitur totius detrimentum, aut utilitas.

II.

FERMENTIS omnia plena. testantur tot mirabiles mutationes, tot periodici, intestinique ejusdem mixti partium motus. Hinc plantarum germinationes, fructuum maturationes, res denique pœnè omnes suas habent perfectiones, suas nanciscuntur fœcunditates: in hoc tamen minor, in illo major nunc soluta, nunc sopita reperitur copia, pro diversa principiorum connexione compositique dignitate. Animalium corpora iis redundare quis inficias ibit? Siste gradum. Rapidiores humorum spirituumque motus vide? Aspice sanguinis æstus, nec non præstantiores vitæ calorisque functiones? Ventriculum, hepar, lienem adi? Cor ipsum ingredere? ad cerebrum ascende? Certè ab ipso vitæ exordio ad metam usque, infinitos propemodum fermentationum effervescentiarumque modos numerare tibi otioso facile erit. Aëra pulsas, qui tamdiù effervescentias loqueris, nec fermenta nosti. Quis vero fermenta novit? Ænigmaticè loquuntur sanè qui qualitatem ignotam, ignem fortem, solis filium, aut spiritum masculum, qui sedem in aëre habet & quem ventus in ventre suo portat, aut lucem fermentum appellant; atque laconicis istis verbis & luce suâ rem potiùs obscurant quam ei nitorem ullum afferant. Qui salia acida simplicia, spiritus vivificos, atomos igneas, fermenta dixere, scopum attigisse pro certo putant. Sed quid in verbis ludere, modò de re constet. Perinde est, sive salia acida simplicia, sive spiritus vivificos aut atomos igneas appellaveris. Tenuius est illud, salinam inter & ignitam naturam obtinens, cæteras mixti partes in motum concitans: putes tamen non ejusdem esse semper indolis. Aliud sanguini perficiendo, in varios liquores transmutando, aliud ipsum à particulis excrementitiis liberando inservit. Hinc actionum functionumque diversitas.

III.

GENITALIA maximè muliebria particulis fermentativis multùm turgere satis superque arguit, quæ fit in iisdem partibus, statis temporibus effervescentia; inde vasorum ruptio; mox sanguinis effluxus. Sit viro matura mulier, & plena nubilis annis, uteri ampliantur vasa, incipitque salax non injucundè furere. Vide fermentativa illa principia salina ignitave ad hoc usque tempus cum aliis concatenata, viribus destituta nec dum sui juris, leniter primo sese commovere, mox gradum properare, ac demum uterinas partes mirum in modum exagitantia vasorum uteri ora tandem subire, reserare, sicque liberum sanguini à fermenti vi ebullienti exitum permittentia, certis in posterum periodis, eodem quo cœpit pede erupturo, totum menstruæ purgationis negotium absolvere. Easdem promiscuè vices non subeunt tamen mulieres quæcumque: hæc citiùs, illa seriùs, nunc largiori, modo parciori copiâ, etiam aliquando nullâ repurgatur. Magnum ad illud habent momentum, ætas, regio, temperamentum, corporis habitudo, maximum, fermenti indoles, & sanguinis dispositio. Vetulæ, juniores necadhuc puberes, nunquam: nutrices, prægnantes, rarissimè; amazones, spartanæ, castrenses, pituitosæ, prorsus inertes, aut

durioribus deditæ laboribus. urbanis molliorem jucundamque vitam agentibus, biliosis minorem experiuntur menstruam purgationem.

IV.

OMNIUM ferè quæ mulieri accidunt fons fomesque uterus; ita ut quidquid in illâ cuditur vel boni vel mali, sit in utero aut ab utero. Nec plura. Mulier propter uterum mulier, seu naturæ in ipsam velut novercantis infirmitatum omnium hæres. Est tamen mulier καλὸν πῆμα, & malum apperibile. Sexus infelix tamen, qui ut sis fælix tot exoptas experiri mala! quæ negat esse mater? factæ matri, inappetentiæ, nauseæ, vomitus, febres, novimestre pondus nullâ non curâ servandum. Parturit ecce: (proh dolor!) Verum quid non accipit incommodi à periodiacâ sanguinis despumatione? quid non periculi ab impedita? maximum à nullâ. Menstruatur: ecce ebullit furitque sanguis: adsunt lumborum gravitas; ventris imi tormina: uno verbo dolet uterus, imminente scilicet sanguinis eruptione, quæ dum fit diceres victimam mactatam: Cruentas tamen illas tragœdias unus excitat uterus, in quo incipere & fieri qui negaverit, dicat cur non febricitet menstruata mulier: malè morata nisi fuerit nunquam totus ebullit sanguis, sed solùm qui uterum alluens ipsius fermento commiscetur. Age porro: Cur ei quæ nullam unquam excepit purgationem per uterum potiùs quam per aliam partem, in posterum iteranda sit eruptio? Ne suum sanguini ἐργασμον demas, ne naturam ignores. Quid aliud enim effervescere quam moveri. nec dum melius censes qui absque fermento seu principio activo & movente quidquam effervescere existimas.

V.

MENSTRUUM sanguinem maligno aliquo viru inquinatum, specula inficere stirpes enecare, eboris candorem obscurare, canes in rabiem agere qui dicit fabulam narrat. Miser homo! cujus esset primum nutrimentum, venenum! infelix & fugienda mulier, venenatum animal, nequaquam sanè, res aliter se habet. Sanguinis moles oculis tantum homogenea, diversis, inter se tamen consentientibus principiis constat, ita ut dum nihil extranei in se recipit, eadem sit illius motûs perennitas; hinc sanitas integra: verum heu! quam paucis purus, sincerusque servatur liquor ille, præ gemmis & auro alioquin servandus. Intrò, foris parantur insidiæ: quot enim intus corrupti liquores, fermentis analogi sanguini permiscentur: inde morborum ilias. Quid non metuendum à partis alicujus fermento aut corrupto, aut penitus destructo? interdum cruoris molem non sine periculo exagitat, ac sæpissime totius perniciem molitur. Nec adhuc dubites extraneas partes sanguini immisceri; nec putes tamen ejusdem esse indolis. Aliæ corruptelâ ipsum inquinant, aliæ concilian ei puritatem: quæ sanguinis muliebris periodica despumatio instituitur, indicio est. Hæc inutilis, nisi cedat in fœtus commodum. Verum hujusce constantis fluxûs non ita latet causa, ut, illam qui investigat, æstuantis oceani reciproci motus originem indagare videatur. Iners mulierum vita nullatenus accusanda. An lunæ imperium? abditane & occulta qualitas? com-

mentum. Latet anguis in herbâ, uterus ipſe eſt accuſandus, cujus peculiare fermentum unâ cum ſingulari texturâ quis non miretur? ab hoc ritè diſpoſito faciei color floridus ac elegans, calor vegetus, fundi muliebris fœcunditas: quin & à ſalinis ignitiſque illius particulis ad volatiliſationem tendentibus uteri vaſa ſtatis temporibus reſerantur; ſanguis quâ datâ portâ ruit.

Ergo ab uterino fermento menſtruorum fluxus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Renatus Chauvel, Præſes. *M. Ludovicus Labbé.* *M. Ioannes-Baptiſta de Revelois.*
M. Petrus-Paulus Guyart. *M. Andræus Enguehard.* *M. Edmundus Charrier.*
M. Franciſcus Lerat. *M. Franciſcus Girard.* *M. Raphaëlus Maurin.*

Proponebat Pariſiis RODOLPHUS OREN, Aremoricus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1680.

PARISIIS,

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.